



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conferentiæ Theologico Morales

Compendiosè propositæ ac breviter resolutæ Ad Usum Directorum  
Conferentiarum Hebdomadalium ... DD. Parochorum, Curatorum,  
Confessariorúmque omnium

Ex Materia De Actibus Humanis Excerptarum

**Sargar, Eliseus**

**Augustæ Vindelicorum, 1720**

Conferentia XCV. Utrum furta venialia multiplicata facta ab eodem diversis  
fiant peccatum mortale ?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41214**

Etum cum præcedentibus: *nego*. Nam ultimo furto minuto auferitur integer talerus, vel ducatus, qui nondum erat ablati furtis præcedentibus.

DICES IV. Quomodo ergo salvabuntur famuli magnatum continuo auferentes, malè impendentes vel consumentes aliqua modica, & nunquam restituentes? R. Illos excusari à mortali & onere restitutionis, partim per in advertentiam; partim quia Domini Magnates in his non censentur valde inviti.

CONFERENTIA XCV.

Utrum furta venialia multiplicata facta ab eodem diversis fiant peccatum mortale?

186. **E**Xtra controversiam est, cum quis ex directâ & formali intentione notabilem summam congregandi, furatur à diversis modica, peccare mortaliter, & obligari ad restitutionem: quia talis intentio est indubiè peccatum mortale, ex qua singula sequentia furta minuta, tanquam continua illius executio, eandem malitiam moralem participant: & nunc domini quàm maximè censentur inviti. An autem etiam peccet mortaliter, qui absque ejusmodi intentione principali magnam quantitatem congregandi, à diversis furatur modica, usque ad notabilem summam scienter congregentem sunt *pro parte negativa* N. Medina, Angelus, Navarr. Tolet, & alii apud Patrit. hic n. 48.

187. RESOLUTIO sic *affirmativa*: longè verius est, talem tandem peccare mortaliter. Ita Patrit. cit. referens Less. l. 2. de just. c. 12. dub. 7. Molin. Sanch. Laym. Lug. & alii.

Ratio

Ratio est: quia licet talis minuta furando à diversis Dominis non inferat notabile damnum singulis, seorsim & actualiter; infert tamen notabile & grave damnum omnibus collectivè, seu ipsi communitati vel reipublicæ, saltem habitualiter; quatenus nimirum si talis modus furandi non esset graviter prohibitus, maximæ sequerentur incommoda & inconvenientiæ contra bonum commune & indemnitatem civium. Si enim cuilibet citra peccatum mortale licet tali modo ditescere, seu furtim magnam copiam congregare ex alieno, quæ foret facies Reipublicæ? quæ mores? quæ securitas? Deinde sequeretur posse aliquem sine peccato mortali in venditionibus uti ponderibus & mensuris modicè falsificatis & minutis: quòd tamen in omni Republica bene instituta meritò gravissimè prohibitum est. Item sequeretur non peccate mortaliter eum, qui ex granario vel cellaria totius communitatis furatur magnam quantitatem, aut qui sine justo titulo tributa seu gabellas minutas exigeret à populosa communitate &c. quia talis singulos leviter tantum læderet; quæ tamen omnia sunt absurda: igitur &c. Advertit tamen hic Patrit. cit. ex Molin. Sanch. Lugo & Laym.

I. Universaliter, sive quis furtis minutis furetur ab eodem, sive à diversis, ad contrahendum peccatum mortale, majori quantitate opus est, quàm illa, quæ simul ablata constituerent peccatum mortale. Quia scilicet Domini non sunt tam inviti propter furta successivè, seu per intervalla facta, quàm propter furtum notabile simul factum: & ordinariè non tantum damnum infert.

○ 5

H. Mz-

II. Major item requiritur quantitas, si plura furta minuta diversis ac pluribus fiant, quàm si eidem: quia tunc omnes & singuli non tam grave damnum patiuntur, actualiter & communiter minus inviti sunt; ita quidem, ut *Molin.* duplo vel adhuc majorem quantitatem requirat in furtulis diversis dominis, quàm uni factis. Unde ait *Laym.* eum, qui à triginta mercatoribus singulos Bazios auferet, non peccaturum mortaliter, bene autem, si ab eodem.

## CONFIDENTIA XCVI.

Quid dicendum de eo, qui vult committere omnia venialia, & sola mortalia vitare?

*Sanch. l. 1. moral. c. 5. n. 4. Layman. l. 1. tract. 3. c. 5. n. 7. & alii apud ipsos docent, talem peccare mortaliter, quia qui vult se exponere periculo peccati mortalis, ille peccat mortaliter: sed qui vult committere omnia peccata venialia, vult se exponere periculo peccati mortalis, cum venialia sint dispositio ad mortale: igitur &c. Unde est illud celebre S. August. tract. 12. in Joan. minuta plura occidunt. Cæterum quia supra ab initio hujus materiæ jam resolutio data est, ex peccatis venialibus etiam infinitis per se non fieri mortale, ideò sit*

188. RESOLUTIO. Probabilius est, eum, qui vult committere omnia venialia, per se non peccare mortaliter. Ita Granada, Salas, Castropal. tom. 1. tract. 2. disp. 2. p. 9. Tamb. & alii.

Ratio est, quia malitia actûs interni sumitur ab objecto, prout proponitur ab intellectu: sed objectum